



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancta Paupertas Religosorum propria sine proprio
Propugnata**

Wissingh, Anton

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Ad Lectorem Benevolum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49625](#)

(II) 30
P.
ve-
us,
us,
io-
in-
ue,
ac
ex-
rtis
em,
ob-
si,
n,
on-
Ego
alo
en-
em
uti,
am
sa-
non
to-
ad
itos
di-
ne-
ver
cur
'em
elis
felicem communionem in celo habebimus , si hic
in communitate Deo placita vixerimus , in qua
est

COR UNUM , ET ANIMA UNA.

Act. 4. 32.

Ad Lectorem Benevolum.

Miraris fortè amice Lector, cur tam solici-
tam pro *Paupertate religiosa* propug-
nanda geram curam, ut pro ea specialem
hanc edam quasi apologiam? Immò verò magis
solicitam pro illa , quam pro alia virtute propug-
nanda. Desine super hoc mirari, si audieris, quòd
etiam S. P. N. *Franciscus* fuerit plurimum soli-
citus pro illa inviolata conservanda , utpote quæ
Religiosorum Mater & nutrix Religionumque &
fundamentum , & murus est (prout fusiùs expo-
sui in lib. de S. Communitate.) Hiac S. Bonaventura de S. P. N. *Francisco* in vita ejusc. 7. §.
I. nemo tam auri , quam ipse cupidus paupertatus:
nec thesauri custodiendo solicitior ullus , quam iste
hujus evangelica margarite. h. i. & §. 2. lc. Pau-
pertatem hanc sui dicebat Ordinis fundamentum:
cui substrato primariè sic omnis structura Religi-
onis innititur, ut ipsius firmitate firmetur, & ever-
sione funditus evertatur. h. i. Quod non de qua-
cumque paupertate , sed de paupertate spiritus,
velim, intelligas ; de qualc. c. I. §. 6, dicitur: Ser-

30

vus Dei *Franciscus* induit ex tunc spiritum pauperatis. h. i. id est, fuit pauper spirituali intentione, spiritus desiderio, cordis affectu, & voluntatis complacentia. Hinc juxta S. Bern. Epist. 100. non paupertas virtus reputatur, sed paupertatus amor, h. i. Et haec est rara avis inter Religiosos illos, qui sunt pauperes potius ex sola tolerantia, quam affectus complacentia. De quibus idem D. Bern. serm. 4. de adventu Domini: *Videmus autem pauperes aliquos, qui si veram haberent paupertatem, non adeo pusillanimes efficerentur & tristes.* Sed hi sunt, qui pauperes esse volunt, eotamen pacto, ut nihil eis desit: & sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patientur. h. i.

Quod autem haec voluntaria paupertas Religiosorum nutrix sit, id S. P. N. *Franciscus* comprobavit, dum in spirituali testamento suo mensam Domini vocat, si quis propter Dominum ex mendicato sponte vivat. Et ipse frequenter Fratres suos alloqui solebat: *Fratres mei, si paupertatem fugeritis, homines fugient vos.* q. d. Si votum paupertatis non ritè servaveritis, sed ad peculiaria, & ad loculos privatos vos converteritis, Deus retrahet & subtrahet supernæ suæ benedictionis manū, à vobisque alienabit, & obdurabit corda hominum benefacere valentium, ne in temporalibus necessitatibus opitulentur vobis. Proinde etiam videmus, quod homines magis proni sint (Deo interius illos permoveente) ad eleemosynas ergandum iis, qui sunt voluntariè pauperes, rē egentes, virtute autem divites, quam aliis, à quibus proinde fugientes retrahunt manum.

Insuper, quod paupertas sit quoque Religionis murus, id ipsum clare expressit S. Ignatius Loyola in Summario Constit. Societ. JESU § 23. ubi sic inquit: *Paupertas ut murus Religionis firmus diligenda: et in sua puritate conservanda est, quantum, divina gratia aspirante, fieri poterit h. i.* Et ibidem §. 24. *diligant omnes paupertatem, ut Matrem. h. i.* De qua Matre S. P. N. Franciscus dicere solebat: *Fratres dilectissimi consolamini, nolite diffidere; licet enim Matrem habeamus valde pauperem, scilicet ipsam paupertatem, attamen Patrem habemus valde divitem, ipsum scilicet Deum.*

Itaque non abs re, nec absque causa urgente (utinam nec absque fructu) factum puta, hunc quantulumcumque laborem à me fuisse suscep-
tum: laboravi enim pro nostra Matre, ac Nutri-
ce, pro Religionis nostræ fundamento, & muro:
& quis labor æquè pius, aut plus necessarius? Va-
le, & hujus Matris ubera mecum suge. ♫

Ad Lectorem Criticum, seu Monachum Pecuniosum.

Quoniam prævideo, quod mox in paucis hisce pagellis invenies, quod rodas, quod suggilles, & taxes; respondendo præve-
niam internas obmurmurations tuas. Cur, in-
quis,